

435

436

CODICES PATRISTICI.

CCLVI.

R. 2226 **C**odex membranaceus lat. Sec. IX. Folior. 255. 4. luculente et pulcre perscriptus, rubricis distinctus, optime servatus, et olim Bibliothecae Episcopatus Neostadiens. in Austria inscribitur nunc: *Incipit Prologus Libri Recognitionum Sancti Clementis discipuli Beati Petri Apostoli Continens in se distinctiones VI.* Neque in Prologo *distinctiones* observantur, et Opus ipsum *Clementi*, ut norunt Eruditi, subpositum in X. *Libros* divisum est. Dixi *nunc*; nam et aliam literis majusculis miniatis Inscriptionem olim praecessisse necesse est, e qua modo verba re-

stant: *Cui (Clementi) Cathedram suam (Petrus) reliquit. Praefatio interpretis Rufini Torani nullo titulo insignis incipit: Tibi quidem Papa Gaudenti nostrorum decus insigne doctorum &c.* Notabo, ut et ad sequentem Codicem faciam, in quibus potissimum ab *Editis Cotelierii* discedat. *Tardos reddidit pro reddit. Deposcebas pro poscebas. Direptam pro ereptam. Dyptamni pro distamni. Etiam si aliquam proprius ager pro αλογο etiam si aliquantulo quam proprius ager. Mea Anima pro Anime mi. Vultus aspiciat pro accipiat. Nec extremo pro ne extremo. Vilescant tamen istis*

istis pro livescant tamen isti. Lectio Operis ipsius titulis Librorum quadratis distincti admodum castigata est, et Codex inter praecipuos habendus.

Ambiunt eum utrinque Membranae Ritualis subparis aevi, e quibus ritum extremae unctionis huc transferre juvat. *Et sic perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato. facientes cruces in collum et guttur et pectus et inter scapulas et supra V. sensus corporis et in supercilia oculorum et in aures intus et foris et in narium summitatem suae interioris suae exterioris et in labia exterioris et in manu similiter exterioris. id est. de foris. ut maculae quae per V. sensus mentis et corporis fragilitate carnis aliquomodo inhererint. hac medicina spiritali et domini misericordia pellantur. De Pedibus et Renibus nihil.*

CCLVII.

R. 11 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 88. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus hoc primum gaudet titulo: *Incipit epistola clementis ad iacobum fratrem domini de obitu apostoli petri. et de ordinatione sua. in qua omnis regula ecclesiastica continetur. quam ruphinus ejusdem clementis interpres in antelata praefatione ideo se dixit eius historiis non preposuisse. quod olim eam interpretatus sit.* Vides, rem esse de Pseudoclementis Libris Recognitionum. a Rufino Torano sive Turanio Presb. Aquilejensi

latina civitate donatis, quos editos habes a *Job. Bapt. Cotelerio* inter *PP. Apostolicos Vol. I.* edit. *Cleric.* 1698. p. 485. f. *Antelatae Praefationi* imprudens Librarius noster praemittit: *Clementis iacobo. domino et episcopo episcoporum. regenti ebreorum sanctam ecclesiam in iherosolimis*, ut adeo *Praefatio* haec, quae *Rufini* est, et incipit: *Tibi quidem papa gaudenti. nostrorum decus insigne doctorum &c.* ab ignaris credi possit, ipsius esse *Clementis*. Sunt porro in hac Praefatione praeter lectionis varietatem jam ab Editoribus adnotatam quaedam, quae subicere visum est. Ita pro *tanta Spiritus gratia* Codex habet *tanta uigoris gratia*, pro *civium vultus* Codex *civium amor*, pro *duas editiones haberi* Codex *duas sectiones &c.* Praefationem jam excipit *Elenchus Capitulum Libri I. Recognitionum*, quae sunt numero XVII. Ejusmodi Elenchos Libri reliqui non habent, quorum etiam Tituli inter *Tertium* et *Sextum* titubant. Opus tamen integrum est, hocque clauditur epiphonemate: *Explicit liber. X. Beati Clementis pape urbis Rome.* Lectio aut cum *Editis* consentit, aut his est inferior.

II. fol. 80. p. 2. continuo sequitur: *Epistola clementis ad iacobum apostolum De passione apostolorum Petri et Pauli.* Incipit ex abrupto: *Domini et Salvatoris nostri ihesu christi per omnium crederet mentes & per dies singulos religionis propagarentur augmenta &c.* Itaque praeponendum fortasse: *Cum fides.* Tantum vero abest,